

laturæ, dignitatis et præbendæ. Concordat Conc. Trid. sess. 22. c. 4. sess. 24. c. 42. de reform.

2. *Ex ratione.*—Ecclesia dispensativè minori concessa, non per laicos, sed per Clericos regi debet, donec ille perveniat ad ætatem.

3. *Indecorum.*—Regimen Ecclesiæ minori 14 annis committi non debet.— Vide correctionem Elencho II. n. 26. "

4. *Eam te.*—Ad regimen Ecclesiarum non debet institui indignus scientia, moribus, vel ætate: et qui habet duas Ecclesias, alteram dimittere cogitur, nisi causa subsit. "

5. *Præterea.*—Is, qui nondum est in sacris, si aliàs est idoneus, ad regimen parochialis Ecclesiæ dispensativè potest assumi.— Vide correctionem Elencho I n. 41. "

6. *Quæris.*—Propter necessitatem et utilitatem Ecclesiæ, compelluntur Clerici ipsius recipere Ordines suis beneficiis non annexos.

7. *Ad aures.*—Eventus mortalitatis infirmi non impedit promoveri ejus medicum peritum, sollicitum, et traditiones artis observantem.— Nec obstat cap. *Tua nos* 49. de homic., in quo dispensatur cùm monacho, ut ministrare possit in susceptis Ordinibus, qui secundum regulas artis chirurgiæ secaverat tumorem cujusdam mulieris, quæ post paucos dies mortua est, quia hic dedit operam rei illicitæ, cùm ars chirurgiæ monachis prohibita sit cap. *Magnopere*, et cap. *Super* 10. Ne Clerici, vel Monachi. "

8. *Cùm bonæ.*—Qui steterit per annum in suspensione, privatur beneficio, quod prius habebat, et quod interim acquisivit.

9. *A multis.*—Subdiaconus in Episcopum eligi potest.— Hic declaratur Ordinem subdiaconatus computari inter sacros, et illum recepturum debere promittere se servaturum continentiam, ad similitudinem Diaconi et Presbyteri.

10. *Tuam.*—Irregularis et in minoribus potest dispensativè in Abbatem institui.

11. *Cum contingat.*—Abbas, si est presbyter, et est benedictus, conferre potest Ordinem clericalem.— Cùm textus dicat hunc Ordinem clericalem conferri per primam Tonsuram, ortæ sunt controversiæ, an hæc sit verè Ordo, quas vide in *Fagnan. hoc eod. cap. per tot.*

12. *Intelleximus.*—Si Canonicus regularis factus monachus justa de causa ad canoniam reversus, ibi postea præficiatur, licitè tenere poterit Prælaturam.

13. *Accepimus.*—Ordinatus ad Sacros sine titulo, ab Ordinatore justè petit beneficium.— Vide correctionem Elencho II. n. 27. "

- 2 Alex. III. Cantuarien. Archiep.
3 Idem eidem, et ejus suffragan.
4 Idem Tornac. Episc.
5 Idem Brivien. Episc.
6 Idem ut aliqui volunt.
7 Clem. III. R. Colon. Canonic.
8 Cœles. III.
9 Innoc. III. Mutinen. Episc.

- 10 Idem Presbyt. Card. Tit. S. Crucis.
11 Idem Rotomag. Archiep.
12 Idem Ab. S. Martini Lauduen. Præmonstr. Ord.
13 Idem Stephano Archiep. Bracharen.

14. *Cùm sit.*—Minus idoneus in Sacerdotem promoveri, vel ad ad regimen animarum assumi non debet.

15. *Quamvis.*—Defectus scientiæ dejicit jam promotum.

IN SEXTO.—Ibi tit. X.

Cap. unic. *Permittimus.*—Episcopus dispensat cum majore 20 annis in dignitatibus, et personatibus non curatis, si aliud non obstat.— Vide correctionem Elencho II. n. 38. "

IN CLEMENTINIS.—Ibi tit. VI.

Cap. 1. *Cum Ecclesiæ.*—Diœcesani servare debent, et à suis subditis servari facere jura loquentia de qualitate personarum præficiendarum Ecclesiis.— Concordat Trid. sess. 24. cap. 2. de reform. "

2. *Ut ii.*—In Capitulo cathedralis Ecclesiæ vel collegiatæ vocem non habet, qui non est Subdiaconus. Habens beneficium, cui annexus est Ordo, post annum, nisi prius, impedimento cessante, promoveatur ad illum, in Capitulo vocem non habet, donec fuerit ordinatus, et interim perdit distributionem dimidiam.— Huic Clement. derogatum est à Martino V. in Conc. Constan. sess. 43. tit. de dispens., statuente esse ipso jure privatos, si infra dictum terminum non promoveantur ad Ordines beneficiis annexos. Sed hodie attendendum est decretum Trid. sess. 22. cap. 4., statuens procedendum esse juxta hanc Clementinam, quam innovat, ut Elencho IV. n. 4. Quæ tamen Martini Const. servanda est in illis beneficiis, quæ habent Ordines annexos, et non sunt in cathedrali vel collegiata Ecclesia, nec comprehenduntur in cap. *Statutum* de Elect. in 6. "

3. *Generalem.*—In 18. anno ad Subdiaconatum, in 20. ad Diaconatum, in 25. ad Presbyteratum potest quis liberè promoveri.— Vide correctionem Elencho II. n. 29. "

TIT. XV.—DE SACRA UNCTIONE.

Cap. unic. *Cum venisset.*—Ecclesia græcorum in ordinationibus et consecrationibus servare debet unctiones, quas servat Ecclesia Romana; Episcopus autem cùm consecratur, inungitur chrismate in capite et manibus; quod si fuerit prætermisum, per tres Episcopos est supplendum.— Tractat de unctione Regum et de differentiis in unctione inter Reges et Pontifices.— Tractat de christianorum omnium unctione: de unctione chrismatis post baptismum, quæ dicitur confirmatio, et de consecratione Altaris.— Hujus minister ordinarius est solus Episcopus ex Trid. sess. 7. de confir. can. 3.; delegari tamen potest facultas id administrandi simplici Sacerdoti auctoritate Apostolica, ubi concurrat necessitas et difficultas habendi Episcopum, chrismate tamen ab Episcopo consecrato ex const. Benedicti XIV. *Eo quamvis* 4. Maji 1745. Vide additiones meas. hoc eod. tit. post n. 162.

- 14 Idem in Conc. gen. Later.
15 Honor. III. Archiep. Mediolanen.
U. Bonif. VIII.
4 Clem. V. in Conc. Vien.

- 2 Idem.
3 Idem.
U. Innoc. III. Archiep. Trinitano.

TIT. XVI.—DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS.

Cap. 1. *Pastoralis*.—In ordinato in Subdiaconum sine manuum impositione, et confirmato non chrismatis, sed olei unctione, non fiet iteratio, sed supplebitur prætermisum.

2. *A nobis*.—Prohibet sepultos à schismaticis exhumari: vestimenta, cum quibus celebrarunt; iterum benedici: et altaria, in quibus celebrarunt iterum consecrari.

3. *Presbyter*.—Si in ordinatione Presbyteri vel Diaconi manus impositio fuerit prætermisita, statutis temporibus supplebitur.

TIT. XVII.—DE FILIIS PRESBYTERORUM ORDINANDIS, VEL NON.

Cap. 1. *Ut filii*.—Illegitimus non ordinatur, nisi ut Religiosus fiat: nec tunc præficitur, id est ad Prælaturam non habilitatur.— Ad Ordines quod spectat, concordat Constit. Sixti V. *Sanctum*. Quoad Regulares, vide in Auctore hoc eodem tit. n. 170. Pro Monialibus autem illegitimis, ut eligi possint Abbatisse etiam in Italia, in qua ex Const. Greg. XIII. *Exposcit*, eligi tantum possint ad triennium, recurrendum est pro dispensatione ad Sedem Apostolicam, ut ex Fagnano in hoc eod. cap. "

2. *Ad præsentiam*.—Illegitimus filius Sacerdotis, qui hoc tacito per rescriptum Apostolicum paternam Ecclesiam impetravit, removetur ab illa.— Concordat Trid. sess. 25. cap. 45 de reform. et ex Constit. Clement. VII. *Ad Canonum Conditorem* 3. Jun. 1530, removetur etiam filius illegitimus cujuscumque Clerici. Vide ampliacionem Elencho III. n. 7. "

3. *Præsentium*.—Non potest filius Sacerdotis Ecclesiæ paternæ præesse.— Nota ut supra. "

4. *Conquerente*.—Idem dicit, et nota ut supra.

5. *Veniens*.—Episcopus, qui scienter contulit filio Sacerdotis paternam Ecclesiam, exinde eum removere non potest.— Vide correctionem Elencho II. n. 30. "

6. *Præposuit*.—Gratiam continet, et hoc dicit: ex quo filius Sacerdotis est ordinatus, non debet carere beneficio.

7. *Ex transmissa*.—Filius præesse potest Ecclesiæ, cui prætor præfuit mediata.— Huic derogatum est ab Alex. VII. cit. Constit. *Ad Canonum* id disertè vetante. "

8. *Constitutus*.—Filius præesse potest Ecclesiæ, in qua pater sine titulo ministravit.— Secus est ex Constit. Clementis VIII. ut infra cap. 11. "

1 Innoc. III. Helien. Episc.

2 Honor. III. Capit. Brehem.

3 Greg. IX. Archiep. Londonen.

4 Alex. III. Lincon. Electo.

5 Ex Conc. Pictav.

3 Idem.

4 Idem Wigoren. Episc.

5 Idem Lugdun. Episc.

6 Idem Oxon. Episc.

7 Idem Richardo Archiep. Cantuar. Apost. Sed. Legat. et R. Wigor. Episc.

8 Idem Wigoren. Episc.

9. *Ex tua*.—Si is, cui concessum est à Papa, ut possit dispensare cum filiis Sacerdotum circa Ecclesias paternas immediatè tenendas; cum aliquo dispensat, ille per litteras justitiæ postea contra eum impetratas removeri non poterit.

10. *Quoniam*.—Si manifestum est, quod filius in Ecclesia immediatè successit patri, sine aliqua testium receptione ab illa removebitur.

11. *Ad extirpandas*.—Filius etiam legitimus removetur ab Ecclesia; in qua immediatè successit patri Vicario, vel Rectori.— Hæc decretalis permittens ex contrario sensu filios Clericorum, et præsertim Sacerdotum, sive legitimos, sive illegitimos, media intercedente persona habere posse Ecclesias paternas, expressè abrogata est à Clement. VII. cit. Constit. *Ad Canonum*. Imò ex Trident. sess. 25. c. 45 illegitimi neque habere possunt pensiones super fructibus beneficiorum, quæ patres eorum obtinent; vel obtinuerunt.— Vide correctionem Elencho II. n. 31. "

12. *Ad hæc*.—Filius Episcopi legitimè natus promoveri potest ad Ordines, et paterna Ecclesia beneficiari.— Vide correctionem Elencho II. n. 32. "

13. *Michael*.—Non potest filius esse Vicarius illius Ecclesiæ, in qua pater proximus fuit Rector.

14. *Litteras*.—Illegitimè genitus, etiam de uxore, sine dispensatione ad Ordines vel beneficia promoveri non potest.— Pro illegitimè genito hic intelligitur filius natus ex legitima uxore, postquam pater factus est Sacerdos, et mater Religionem professæ est: in quo casu filius dicitur illegitimus quoad Ordines et beneficia ecclesiastica, licet sit legitimus quoad hæreditatem, aliaque temporalia. "

15. *Cum decorem*.—Illegitimus in Ecclesia paterna præbendari non debet.

16. *Ad abolendam*.—Si illegitimus, maximè filius spurius, instituitur in Ecclesia, in qua institutus est pater, institutio non valet, et instituens à suis beneficiis suspendatur.

17. *Dilectus*.—Alius quàm Papa non dispensat, ut filius in Ecclesia paterna immediatè succedat.— Nec obstat cap. *Veniens* 3. hoc eod. tit., ubi statuitur filium Sacerdotis institutum in Ecclesia, in qua ejus pater proximè ministravit, non esse removendum, quia id factum fuit ex dispensatione Pontificia; *Gonzalez*. "

18. *Nimis*.—Illegitimus absque dispensatione Papæ ad dignitatem, vel personatum, vel beneficium curatum, promoveri non potest.— Nec obstat cap. *Cum de tua* 2. de corp. vit. in quo Archiepiscopus Cantuariensis dispensavit cum illegitimo, ut eligeretur in Episcopum, quia id fecit de mandato speciali Papæ, ut in textu. Nec cap. *Cum olim* 6. de Cle-

9 Idem Eboracen. Archiep.

10 Idem Cantuar. Archiep. et ejus suffrag.

11 Idem eidem.

12 Clem. III. Cassel. Archiep.

13 Idem.

14 Idem.

15 Innoc. III.

16 Idem in Conc. gen. cap. 31.

17 Honor. III. Decan. Morinen.

18 Greg. IX. Turonen. Archiep.

ric. conjug., ubi filius Presbyteri electus et confirmatus fuit Episcopus Angleriensis; nam natus erat ex Sacerdote græco, cui etiam post Sacerdotium licebat uxorem retinere; cap. *Quæsitum* 7. de pœnit. et remiss. "

IN SEXTO.—Ibi tit. XI.

Cap. 1. *Is, qui.*—Cum illegitimè natis dispensant Episcopi in minoribus Ordinibus, et beneficio sine cura; dummodò sit tale, in quo aliàs dispensare possint; in aliis dispensatio Papæ requiritur.— Vide adnotata suprâ in cap. 4. hoc eod. tit. —Si dispensatum fuerit cum aliquo, quod non obstante ullo defectu, possit ad curatum beneficium promoveri, prætextu illius dispensationis non poterit duo beneficia in simul obtinere.

2. *Si is.*—Si ille, cum quo super defectu originis in curato beneficio fuerit dispensatum, eo tacito, super pluralitate dispensationem obtineat, non valet dispensatio.

TIT. XVIII.—DE SERVIS NON ORDINANDIS, ET EORUM MANUMISSIONE.

Cap. 1. *Instruendi.*—Servus ante plenam manumissionem ordinari non debet.— Ex Constit. S. Pii V. *Dignum* 5. Id. Septemb. 1566., mancipia quæcumque sub iugo servitutis quomodolibet alligata christianam Religionem priùs amplexa, confugientia ad Senatam Camerae Urbis, ejusque conservatores, libertatemque acclamantia, libertatem consequuntur, et Romani cives, liberique homines in omnibus efficiuntur. Idem priùs statuerat Paulus III. "

2. *De servorum.*—Servus sine licentia domini ordinatus, deponitur, et domino restituitur.

3. *De familiis.*—Servus ab Ecclesia manumissus, ordinari potest: et quod acquirit, post suum obitum erit Ecclesiae manumittentis: quam si accusat, vel contra eam testificatur, libertate et ordine privetur.

4. *Nullus.*—Dominus in servo, quem manumittit, potest spirituales operas retinere.

5. *Consuluit.*—Spurii, vel servi ordinari non debent.

6. *Eo libentiùs.*—Manumissus ab Ecclesia, ut fiat Clericus, et ei perpetuò serviat in Divinis, ad aliam se transferre non potest. Secus si absolute fuerit manumissus.

7. *Miramur.*—Jus competens servo facto Diacono, competit et Subdiacono.

8. *Dilectus.*—Natus ex patre servo et libera matre licitè ordinatur.

1 Bonif. VIII.

2 Idem.

1 Ex Conc. Toletan.

2 Ex capitul. Carol. Magn. lib. I.

cap. 82. vel 88.

3 Ex Conc. Toletan. IV. cap. 74.

4 Ex Conc. apud. Altheum.

5 Alex. III. Archiep. Tolet.

6 Innoc. III. Vacien. Episc.

7 Idem fortasse.

8 Greg. IX. Archiep. Neapolit.

TIT. XIX.—DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA ORDINANDIS, VEL NON.

Cap. unic. *Magnus.*—Obligatus ratiociniis, deposito onere et reddita ratione, ordinari potest, priùs verò non.

TIT. XX.—DE CORPORE VITIATIS ORDINANDIS, VEL NON.

Cap. 1. *De Presbytero.*—Presbyter, qui in duello digiti partem amisit, ex dispensatione sui Episcopi potest in suo Ordine ministrare.— Ista dispensatio dari potest ab Episcopo, non obstante infamia juris, quam duellantes incurrunt eo ipso ex constit. Clemen. VIII. *Illius vices*, quia in ea reservatur tantum Papæ absolutio ab excommunicatione ob duellum incurta; et in constit. Pii IV. *Ea quæ*, reservatur eidem Pontifici sola dispensatio super pœna privationis beneficiorum, et dignitatum, et inhabilitationis ad illa. Ità Thesaur. de pœnis verb. *Duellum* c. 1. n. 3. in fin.

2. *Cum de tua.*—Habens in oculo maculam, quæ non inducit magnam deformitatem, etiam ad Episcopatum poterit promoveri.

3. *Ex parte.*—Sectus in cunabulis licitè promovetur.

4. *Significavit.*—Sacerdos, qui sine causa virilia sibi fecit abicendi, credens inde mereri, de dispensatione Episcopi suum officium, præter Altaris ministerium, poterit exercere.

5. *Ex parte.*—Sacerdos, qui ex justa causa fecit sibi virilia abscindi, potest, ut priùs sacerdotale officium exercere.

6. *Exposuisti.*—Mutilatus manu, si promotus fuerit in Abbatem, ab abbacia deponitur, cum irregularitatem contraxerit propter reticentiam hujus defectus in sua promotione ad sacros Ordines.

7. *Thomas.*—Carens ungula pollicis, dummodo sit fortis in pollice, licitè ad Sacerdotium promovetur.

TIT. XXI.—DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

Cap. 1. *Ut bigami.*—Pœnitentes, vel repudiatarum mariti, ad Sacerdotium non ascendant.— Quoad bigamos concordat Trid. sess. 23. cap. 17. de reform. "

2. *Super eo.*—Cum bigamo, qui ordinatus est ad Sacros, non dispensa-

U. Ex Conc. Carthag. cap. 8.

1 Alex. III. Salernit. Archiep.

2 Idem Cicestren. Electo.

3 Clem. III. Varinonen. Episc.

4 Idem Archiep. Raven.

5 Innoc. III. Parisien. Episc.

6 Idem Militen. vel milicen. vel Militen. Melden. Episc.

7 Honor III. Episc. Engolisinen. vel Engrolismen. vel Engolisin.

1 Ex Conc. Aureliänen. III.

2 Luc. III. Archiep. Spalaten.

tur: et ordinator privabitur potestate ordinandi, nisi cum eo fuerit dispensatum.

3. *De bigamis.*—Bigamus uxore vivente, vel mortua, non ordinatur.

4. *Nuper.*—Qui mortua uxore, promotus ad Sacros, cum secunda de facto contraxit et cognovit, bigamiæ pœnam incurrit, licet non sit bigamus.

5. *Debitum.*—Qui contraxit cum virgine, licet prius ab alio fuerit dispensata, bigamus non censetur.

6. *Quia.*—Qui plures habuit concubinas, ex eo bigamus non est.

7. *A nobis.*—Subdiaconus, qui cum vidua contraxit et eam cognovit, bigamiæ pœnam incurrit, licet bigamus non sit.

IN SEXTO—Ibi tit. XII.

Cap. unic. *Altercationis.*—Bigamus nudatus est omni privilegio clericali, et adstrictus sæculari foro: nec valet consuetudo in contrarium: et prohibetur ei sub anathemate, ne tonsuram deferat.

TIT. XXII.—DE CLERICIS PEREGRINIS.

Cap. 4. *Tua.*—Ultramarini, et valdè remoti ordinationem suam probare debent per quinque Episcoporum sigilla.— Hodie attendenda sunt notata ad cap. *Romana* I. de tempor. ordin. in 6. suprâ. "

2. *Inter.*—Clericus peregrinus, qui jurat se ordinatum, nisi aliter probet, in illo Ordine non suscipietur, nec ad superiores promovebitur.

3. *Tuæ fraternitatis.*—Peregrinus, de cujus ordinatione non constat, non permittitur celebrare in publico, sed in occulto sic.— Ex Trid. sess. 22. cap. *Quanta* de obser. et vitan. in celeb. miss. et sess. 23. cap. 16. de reform., neque permittendus est celebrare in occulto sine commendatiis sui Ordinarii. "

4. *Te nobis.*—Inferiores Prælati sine Diæcesanorum consensu in Ecclesiis suis peregrinos non possunt instituere.— Hoc tamen remittitur arbitrio Episcopi, qui super hoc dispensare potest, ut in textu; ubi tamen non sunt concordata ab Apostol. Sede admissa aliter disponentia. "

TIT. XXIII.—DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

Cap. I. *Ut Archidiaconus.*—Ponit quæ spectant ad officium Archidiaconi.— Vide correctionem Elencho II. n. 33. "

- | | |
|--|--|
| 5 Cælest. III. | 1 Alex. III. Cenomanen Episc. |
| 4 Innoc. III. Uratizlavien. Episc. | 2 Innoc. III. Constantinop. Patriarch. |
| 3 Idem Ep. Meten. | 3 Idem Patriarch. Hierosolymit. |
| 6 Idem Archiep. Lunden. Apost. Sed. Legat. | 4 Honor. III. Ep. Regino. |
| 7 Idem. | 1 Ex lib. 1. Rom. Ord. ut aliqui volunt. |
| U. Greg. X. in Conc. gen. Lugdun. | |

2. *Officium.*—Ponit quædam, quæ spectant ad officium Archidiaconi.

3. *Ex quæ.*—Custodia vasorum Ecclesiæ spectat ad Archidiaconum.

4. *Cum satis.*—Archidiaconus sine mandato Episcopi non committit curam animarum, id est, non habet institutionem autorizabilem.

5. *Archidiaconis.*—Archidiaconus de jure communi non potest excommunicare.

6. *Mandamus.*—Archidiaconus semel in anno, (nisi necessitas exigat plus), visitat in suam provinciam, id est, Parochiam.— Vide moderationem Elencho II. n. 34. "

7. *Ad hæc.*—Dicit: 1.º quod sit officium Archidiaconi, et in quo per illud relevetur Episcopus; 2.º dicit, Decanos rurales per Episcopum et Archidiaconum eligendos, et amovendos, si illorum vices communiter gerant.— Vide correctionem Elencho II. n. 35. "

8. *Significasti.*—Archidiaconus non dat commendatitias ad Ordines.

9. *Ut nostrum.*—Archidiaconus examinat, et præsentat ordinandos, et ponit Prælatos in sede.— Quoad examen, vide notata Elencho II. n. 25. "

10. *Dilecto.*—Archidiaconi in monasteriis jurisdictionem non habent, nisi quantum tribuit eis generalis, vel specialis consuetudo.— Vide moderationem Elencho II. n. 36. "

TIT. XXIV.—DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

Cap. 4. *Ut Archipresbyter.*—Archipresbyter civitatis subest Archidiacono, et principaliter præest Presbyteris et presbyteralibus officiis.

2. *Ministerium.*—Enumerat quæ sint ministeria Archipresbyteri.

3. *Officium.*—Declarat quod sit Officium Archipresbyteri civitatis.

4. *Ut singulæ.*—Archipresbyter ruralis Presbyterorum et laicorum Plebania suæ curam gerit; contra decretum tamen Episcopi nihil ordinare potest.

TIT. XXV.—DE OFFICIO PRIMICERII.

Cap. unic. *Ut Primicerius.*—Ponit ea, quæ spectant ad Officium Primicerii.

TIT. XXVI.—DE OFFICIO SACRISTÆ.

Cap. unic. *Ut sciat.*—Dicit quale sit officium Sacristæ.

- | | |
|---|--|
| 2 Ex Conc. Toletano ut tribuitur. | cen. Diæces. et Archid. et Decan. S. Stephani Trecent. |
| 5 Gregor. Honorato Archid. Solonitan. | 1 Ex Conc. Tolet. forte circa an. 633. in Hispan. |
| 4 Alex. III. Elien. Archid. | 2 Leo IX. ut aliqui volunt. |
| 5 Idem Wigorinen. Episc. | 3 Idem. |
| 6 Idem Episc. Conventren. et Ab. Cistren. | 4 Joan. IX. ex Synod. Raven. habit. an. 904. |
| 7 Innocent. III. | U. Ex lib. Rom. Ord. |
| 8 Idem Travisino Episc. | U. Ex Conc. Tolet. ut Tribuitur. |
| 9 Idem Mediolanen. Archiep. | |
| 10 Honor. III. Abb. Aremaren. Tre- | |

TIT. XXVII.—DE OFFICIO CUSTODIS.

Cap. 1. *Custos.*—Ponit, quæ spectant ad officium Custodis.

2. *Custos.*—Idem dicit.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.—Ibi tit. V.

Cap. unic. *Quia cunctos.*—In Religiosorum mendicantium conventibus plures campanæ esse non possunt sine speciali Papæ licentia; plures autem campanulas in refectoriis, capitulis et alibi, licite ipsi Religiosi mendicantis habere possunt.— Hodie ex contraria consuetudine his interdicti nequit retento usu plurium campanarum, ut etiam deducitur ex textu. **

TIT. XXVIII.—DE OFFICIO VICARII.

Cap. 1. *Ad audientiam.*—Vicarius, si beneficium curatum postea sit adeptus, Vicaria privabitur.— Concordat Trid. sess. 7. c. 4. et sess. 24. c. 17. de reform. **

2. *Providens.*—Plures vicarias quis habere non potest.

3. *Ad hæc.*—Perpetuus Vicarius per Episcopum institutus, per Rectorem removeri, vel portione sua fraudari non potest.

4. *Clericos.*—Vicarius non potest substituere Vicarium.

5. *Sua nobis.*—Vicarius Papæ in Urbe jurisdictionem habet, non extra Urbem.— Ex pluribus Constit. SS. Pontificum, et novissima Bened. XIV. Romanæ 21. Decemb. 1745. jurisdictionem habet etiam extra Urbem usque ad quadragessimam ab ea lapidem, justa modum in eadem Constit. præscriptum. **

6. *Ex parte.*—Compelluntur Vicarii ordinarii Ecclesiis deservire, per subtractionem proventuum, et Vicariorum.— Loquitur de Vicariis perpetuis, qui tenentur in suis Vicariis residere, et ex Decretis Cong. Conc. relatis hic à Fagnano n. 4.; tenentur etiam ad residentiam Rectores beneficiorum, et Coadjutores perpetui, quibus annexum est onus coadjuvandi parochum eadem lege, qua ex Trid. sess. 25. c. 1. de reform. tenetur parochus. **

IN SEXTO —Ibi tit. XIII.

Cap. 1. *Romana.*—Successor Officialis excommunicati excommunicatus non est, nisi in crimine damnato communicet; illa autem quæ exercet, illo excommunicato manente, non valent, si jurisdictione solum ab eo recepta hoc facit.

2. *Licet.*—Ex generali commissione non potest Officialis inquirere, corrigere, deponere et punire subditorum excessus.

1 Ex lib. Rom. Ord.

2 Ex Cone. Tolet. ut tribuitur.

U. Joan XXII.

1 Alex. III. Episc. Norvicien. et G.

Archid.

2 Idem Elien. Episc.

3 Idem Wintonen. Episc.

4 Idem Norvicien. Episc.

5 Innoc. Abb. S. Eugen. et Pleban. S. Petri.

6 Honor. III. Episc. Wigorx.

1 Innoc. IV.

2 Bonif. VIII.

3. *Cum in generali.*—Ex generali commissione Officialis beneficia conferre non potest.

IN CLEMENTINIS.—Ibi tit. VII.

Cap. unic. *Quæ de Ecclesiis.*—Jura loquentia de Ecclesiis curatis locum habent in Vicariis perpetuis Ecclesiarum paræcialium, quoad prohibitionem retentionis plurium similium, onus recipiendi sacerdotium intra annum, et legitimam ætatem.

TIT. XXIX.—DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Cap. 1. *Quia.*—Delegatus Papæ potestatem habet non solum in partes sed etiam in alios, qui suam jurisdictionem impediunt.— Nec obstat cap. *Causam* 1 de testibus cogen., ubi præcipitur Judici ordinario, ut compellat testes ad ferendum testimonium coram delegatis, quia id evenit ob majorem timorem, qui in illis partibus, ubi causa agitabatur, habebatur de jurisdictione Ordinarii.

2. *Sane.*—Cum diversæ litteræ sub eadem data et forma contraria impetrantur, et præsentantur à diversis ad eosdem Judices, supersedetur utrisque, donec consulatur Papa.

3. *Si pro debilitate.*—Delegatus Papæ impeditus subdelegare potest causam, quæ sine ipso commodè terminari potest.

4. *De causis.*—Si causa committitur intra certum diem decidenda, nisi patres abrogent, per lapsum diei expirat jurisdictio.—Ubi certa pœna per jus statuta non est, delegatus imponit arbitrariam.— Nec obstat Cap. *Cum Inquisitionis* 21 de accusation., ubi statuitur posse Judicem moderare pœnam à jure statutam juxta personæ merita, et qualitatem excessus; nam ibi agitur de judicio extraordinario, hic de ordinario, in quo juxta petitionem partis procedendum est.

5. *Præterea.*—Per simplicem commissionem causæ potest delegatus citare, contumacem punire, et reliqua facere quæ spectant ad causam.

6. *Quamvis.*—Si causa pluribus, etiam simpliciter est commissâ, quilibet subdelegare potest.

7. *Significasti.*—Delegatus Papæ exequitur sententiam suam, quam exequi non potest, aut non vult is, cui eam commiserat exequendam.

8. *Si quando.*—Si Ordinarius sciat eum non canonicè institutum, quem delegatus Papæ mandat in possessionem induci, non resistet violenter sed precibus instabit, ut differat, donec Papa consulatur.

9. *In litteris.*—Post definitivam executioni mandatam, expirat delegati jurisdictio.

10. *Consultationibus.*—Reo absente non per contumaciam, delegatus

3 Idem.

U. Clem. V. in Conc. Vien.

1 Alex. III. London. Episc.

2 Idem Bonon. Episc.

3 Idem Episc. London.

4 Idem Wilelmo.

5 Idem Archiep. Senonen.

6 Idem Wintonien. Episc.

7 Idem Norvicien. Episc.

8 Idem eidem.

9 Idem Brixien. Episc.

10 Idem Abb. S. Albani.

datus etiam ad diem, non restituet actorem, licet possessionem et dejectionem probare volentem.

11. *Sanè.*—Delegatus Papæ in causa sibi commissa jurisdictionem habet super Ordinarium, et quemcumque illo majorem.

12. *Ex parte.*—Si primus impetravit primam dignitatem in Ecclesia vacaturam, secundus impetravit certam dignitatem ipsius Ecclesiæ, cum vacaret, et illa postmodum vacat, debetur primo, et non secundo.—Ulterius cum hic non improbetur successio immediata collateralium, seu transversalium in beneficiis, quandoquidem hic nepos obtinuit beneficium vacans per resignationem avunculi, vide Constit. S. Pii V. *Quanta* in Auctore lib. I. tit. 9. n. 117. Vide correctionem Elench. II. n. 37."

13. *Ex parte.*—Ubi contraria voluntas Papæ non apparet, delegatus juris formam servare debet, et rationabiles exceptiones admittere.

14. *Quoniam.*—Delegatio facta dignitati, non expresso nomine proprio, transit ad successorem.—Vide correctionem Elencho II. n. 38."

15. *Super eo.*—Si quæstionem de jure præsentandi Papa delegat appellatione remota, et sub ea forma, ut Delegatus ad præsentationem ejus, ad quem viderit pertinere, ordinet Ecclesiam, per hoc non habet instituire, sed pronunciare; et is ad quem pertinet, instituet; et si juri suo detrahitur, licite appellat.

16. *Causam.*—Si causa simpliciter est delegata duobus, sententia unius non tenet.

17. *Causam.*—Delegatus, qui est dominus impetrantis, recusari potest.

18. *Cum te.*—A subdelegato delegati Papæ, qui subdelegavit non in totum, non ad Papam, sed ad ipsum delegatum appellari debet.

19. *Relatum.*—Morte delegantis non expirat jurisdictio delegati, coram quo lis erat contestata.—Nec obstat cap. *Si super gratia* 9 hoc eod. tit. in 6, ubi statuitur officium Judicum exequutorialium Sedis Apost. non finiri morte Pontificis; ibi enim agitur de executione gratiæ non expirantis re integra per morem concedentis, sicut non expirat ipsa gratia; hic verò de rescriptis justitiæ. Et vide correctionem Elencho I. n. 12."

20. *Gratum.*—Si delegatus citavit ante mortem delegantis, perpetuata est ejus jurisdictio, et appellationi renunciat qui coram Judice, a quo appellavit, litem prosequitur.

21. *Prudentiam.*—Si causa committitur tribus delegatis cum clausula *quod si non omnes etc.*, priusquam appareat de impotentia tertii, duo procedere non possunt; et si procedunt, nihil agunt.—Clausula *Si non omnes poteritis*, sub impotentia includit voluntatem, quoad purificandam jurisdictionem Conjudicum. Item in duobus datis cum clausula *quod si ambo.*

41 Idem Carnoten Episc.

42 Idem Eboracen. Archiep. et Episc. Connestren.

43 Idem Eboracen. Archiep.

44 Idem Abb. et Convent Major Monast.

45 Idem Cenomanen. Episc.

46 Idem Arelaten. Archiep.

17 Idem Ononien et Wintonien. Episc. et Abb. Herford.

18 Idem (vel Luc. III.) Cantuar. Archiep.

19 Luc. 5. eidem et ejus suffrag.

20 Urban III. Abbat. de Bello Becco et Oselheston.

21 Cælest III. Rhotenagi. Decan.

—Si reus coram Delegato objicit excommunicationem actori, quam non probat intra tempus debitum, auditur actor. Si verò probat, Delegatus absolvit actorem, si excommunicatus est propter causam sibi commissam; si propter aliam, ad excommunicatorem suum illum remittet: qui si non vult eum absolvere, Delegatus Papæ eum absolvit, nisi sit de casibus Papæ reservatis.—Absolutus à delegato super causa, pro qua fuerat excommunicatus, coram excommunicatore parebit, seu respondebit super illa causa, nisi sit alteri delegata; et si excommunicator malitiosè distulerit, delegatus, qui absolvit, cognoscet.

22. *Cum causa.*—Si causa simpliciter delegatur tribus, duo sine subdelegatione tertii procedere non possunt; quod si fecerint, ab eis poterit appellari. Idem si sunt dati cum clausula *quod si omnes*; non enim valet processus duorum, tertio inconsulto.

23. *Cum super.*—Si duo sunt Delegati cum clausula *quod si ambo etc.*, uno recusato, alter solus procedere potest; nec tenet processus, si cum recusato procedat.—Vide circa hoc cap. *Si à Judicibus* de appellat. in Clem."

24. *Consuluit.*—Si jurisdictio Delegati expirat in termino peremptorio, quem partibus assignavit, post congruam horam peremptorii Judex non expectabit contumacem. Si non expirat, potest expectare in diem alteram, et iterum citare, si vult.

25. *Insinuante.*—Ex nova causa removetur delegatus, etiam post litem contestatam, et alius subrogatur.

26. *Quærenti.*—Delegatus Papæ sententiam suam exequi potest usque ad integrum annum.

27. *Super.*—Delegatus Papæ potest principium, medium et finem causæ conjunctim et divisim subdelegare.—A subdelegato cum jurisdictione appellari potest, secus si sine jurisdictione, nisi modum excedat; tunc enim potest recusari, nisi datus sit de partium consensu.—A subdelegato non in totum appellatur ad subdelegantem, non autem ad primum delegantem; secus, si in totum.—Auditor datus sine partium consensu recusari potest ut suspectus; non tamen sine causa.—Si unus ex duobus delegatis Principis cum clausula *appellatione remota*, subdelegat alteri acceptanti, non potest acceptans subdelegare, nec appellatione remota procedere, quod tamen ante acceptationem poterat; et si ab isto fuerit appellandum, appellabitur ad Papam, etiamsi fuerit subdelegatus non in totum.—Si Delegatus Papæ subdelegat non in totum, pars à subdelegato non poterit appellare, ex eo quod datus sit sine suo consensu; potest tamen recusari in ostendendo causam justam coram delegato; et tunc delegatus definit; à quo etiamsi noluerit recusationem admittere, appellatur ad Papam.

22 Innoc. III. Regin. Archiep. et Episc. Cephaluden.

23 Idem Convent. de Conchis.

24 Idem Archiep. Toletan.

25 Idem Abb. de Bordelin et Prior S. Sepulchri.

26 Idem Prior S. Fridiani vel Frigidiani.

27 Idem Cantuarien. Archiep.